

capitulis, urgeatur ad comedendum carnes tempore Quadragesimæ in contemptum Ecclesiasticæ Legis, verb. gr. si alius sic minaretur illi mortem, nisi carnes comedit; potius ei moriendum foret, quam voluntati alterius satisfacere. Communis DD. cit. Ratio est: quia in illis circumstantiis comedere carnes est fervire scelestæ penitentium intentioni, ipsamque exequi, atque ita conferretur talis contumelia Ecclesiæ potestatem; quod nullo modo licet, cum hoc sit intrinsecè malum.

216 III. Extra huiusmodi casus Lex humana non obligat cum periculo mortis, aut alterius gravis mali. Ita Authores cit. Ratio est: I. Quia quando non urget necessitas boni communis, nec sequitur contemptus fidei, aut Ecclesiasticæ Legis, Lex tam severa merito iudicari posset superare humanam fragilitatem, ac proinde non obligare. 2. Quia ipsæmet leges Dei sæpè non obligant cum tanto discrimine, ut de præceptis veteris Testamenti ostensum est supra Sectione 2. num. 36. & de Regibus novi Testamenti constat ex præcepto integrè confitendi, cujus obligatio cessat ob similia pericula: ergo multò minùs sic obligat Lex humana. 3. Ex communi consuetudine, & consensu Doctorum, ex quo constat, multas Leges cenferi non obligare, quando est periculum etiam minoris mali, ut patet in Lege jejunii; item Lege de audiendo Sacro, à quarum observatione, prudentum iudicio, excusamur pluribus casibus. Vide de hoc P. Patrium Sporer tract. 1. Proem. cap. 2. sect. 4. Subsectione 3. num. 52. Ex his.

217 IV. Sequitur, non esse audiendum Casetanum, qui apud Herincx cit. num. 177. contra torrentem Doctorum refertur docuisse, quòd non licet unquam transgredi Legem humanam etiam metu mortis, sicut non licet ullo metu peccare. Nam transgressio Legis in illo casu non est formalis seu peccaminosa, imò nec materialis (qualis est, dum quis transgreditur Legem excusatus à culpa formali, ratione v. gr. ignorantia) eam reverà Lex juxta mentem Legislatoris istum casum non comprehendat.

Quæstio Incidentalis,

Quando & quomodo peccet, qui se reddit impotentem, vel ponit impedimentum, vel quærit exemptionem à Lege?

218 Hanc Quæstionem omnes dicunt esse difficillimam in praxi, & de ea fusè agit P. Gobat in suo Quinario tract. 5. cap. 10. & 27. Ex quo, & aliis aliqua referam. Itaque

219 I. Qui ad Legem observandam obligatur, hoc ipso obligatur ad procuranda media ordinaria, & ex natura rei proximè necessaria ad observationem Legis, alioquin frustra voluisse Legislator obligare; unde qui tenetur jejunare, & hoc non potest, nisi manè aliquid sumendo, ad hoc tenetur, ut sic jejuset. Ita Pasqualigus, Diana, Johannes Sanchez apud la Croix lib. 1. num. 782. Hinc etiam peccat contra Legem, qui obligatus Lege, aut saltem tunc, quando Lex urget, ponit impedimentum per se impediens. Ratio est: quia Lex præcipit media per se necessaria: ergo etiam sublationem impedimentorum per se, & proximè impediendum. Unde Titius peccat contra Legem de recitandis horis Canonicis, si abiciat Breviarium aut conspiciat, sine quibus eas recitare non potest: non tenetur tamen per medicinam etiam facile parabilem se collocare in eo statu, in quo ipsum talis Lex obliget; unde si ægrotet Titius, non tenetur sibi procurare valetudinem, ut possit recitare horas Canonicas, aut aliud præceptum humanum implere; tenetur tamen sibi procurare valetudinem, si urgeat Lex charitatis in extrema necessitate spiritali proximi: Ita la Croix cit. num. 783.

220 II. Licetum est dedita opera aliquid facere, ut quis totaliter desinat Legi esse subjectus. Ratio est: quia ut Dicastillus de Penit. d. 9. num. 6. 97. rectè advertit, nemo tenetur perseverare in eo statu in quo Lege obligatur: Hinc deducit cum Bonacina, illum non peccare, qui per media de se licita, conatur se transferre in eum statum, locum, conditionem, ubi aliqua Lex desinat eum obligare in actu primo, & secundo, idèdque non damnandum peccati eum, qui è loco ubi est jejunium, iret ad locum, ubi non est jejunium, eò quòd nemo tenetur manere in loco, ubi est jejunium. De hoc vide plura infra quæstione sequenti, num. 248.

221 III. Ipso die, quo adest obligatio non licet illi, qui pergit obligari Lege, absque rationabili causa ponere impedimentum, quominùs eam observet. Ratio est: Quia Legislator, etiam humanus, potest obligare ad non ponendum tale impedimentum; praxi autem utriusque fori ha-

bet, quòd mens Legislatoris sit obligare ad tollendum ipsa die impedimentum ab eo, qui pergit obligari Lege. Hinc etiam peccas, si una aut altera hora ante mediam noctem diei festi ex eas venaturus, prævidens, te idèd non auditurum Sacrum. Ratio est: quia tunc censetur moraliter adesse festum, & urgere præceptum. Ita Tamburinus lib. 4. in Decalog. cap. 2. §. 2. Et idem est de aliis similibus casibus. Attamen pleræque Leges humanæ secundum usum & interpretationem communem non obligant, ne quis impedimenta apponat aliquot diebus, antequam urgeant. Ita Suarez, Beccanus, Salas, Castro-Palao, Dicastillus apud La Croix cit. num. 792. Sic non peccat specialiter, qui per potum causat sibi ægitudinem, ob quam prævidet se fore impotentem post aliquot dies ad sacrum audiendum, ad legendas horas, ad jejunandum, ad communionem Paschalem: Item qui potans prævidet suo morbo alios cras privandos Missa, secundum Suarez, Becanum, Bonacina, & Dicastillum non peccat contra præceptum de Missa. Item Authores modò citati docent, si abis intentio defraudandi Legem, non peccare eum, qui per actionem ex se non illicitam reddit se pridie impotentem ad Legem aliquam humanam observandam, adèdque non peccare, qui die Sabbati iter ingreditur prævidens se cras non posse audire sacrum, imò nec qui ad venationem exit: uti pluribus docet Gobat in expert. tract. 5. num. 453. & Moya num. 15. nisi exiret circa decimam vel undecimam horam noctis. Quòd si impotentia illa pridie causetur per actionem ex se malam. v. g. ebrietatem, Bonacina, dicit, non idèd peccare contra Legem humanam, cujus observationi ponitur impedimentum, quia non constat Legibus humanis intendi talem obligationem, uti constat intendi Legibus naturalibus.

IV. Excommunicatus peccat contra præceptum de Confessione, & Communionem annua, si non petat absolutionem, ita ut possit illis præceptis satisfacere. Ita Suarez, Layman, Bonacina, Fagundez, Diana, & alii apud la Croix cit. num. 794. Si tamen non petat, non peccat contra præceptum de Missa audienda, uti iidem docent cum Navarro, Avila, Illung, num. 38. Castro-Palao de censur. disp. 1. punct. 9. num. 3. Quia Ecclesia noluit hoc præcepto excommunicatum comprehendere, sed excludi, soloque disposito obligat ad audiendum, non autem ut se disponat. Vide Dicastillum de Missa tom. 5. disp. 5. dub. 10. §. 2. Quòd si tamen eo fine non peteret ut non teneatur Missam audire, putat Avila, eum peccare contra præceptum de Missa. Imò Gobat supra citat. in Quinario cap. 27. num. 95. putat absolute teneri ad procurandam absolutionem & tollendum impedimentum, alioquin peccare contra præceptum de Missa: non tenetur tamen quis sibi procurare valetudinem, aut liberationem è carcere, ut habet communior sententia cum Suarez, Bonacina, Fagundez, & aliis, pro quo disparitatem dat Gobat, quia qui excommunicatur, peccavit contra Ecclesiam, & illi est contumax; sed qui ægrotat, vel carcere tenetur, per hoc non peccavit contra Ecclesiam, nec illi contumax est: ergo Ecclesia respectu hujus meritò est indulgentior, & non adstringit præceptis illis.

Ex hastenus dictis constat, & rectè notat Illung, in hac quæstione non posse dari generalem Regulam, sed attendendam esse mentem Legislatorum, & finem Legum, quæ quandoque faciliùs, quandoque difficiliùs patiuntur apponi impedimentum, quod discere oportebit ex usu Probatorum, & iudicio prudentum: sic Lex jejunii permittit astumi laborem honestum, cum quo jejunare non poteris; non item Lex Missæ, vel horarum. Item præcepta naturalia obligant, ne quis impedimentum eorum observationi apponat, etiam aliquot diebus, antequam incipiant obligare. Item titulus Justitiæ rigidior est, quam obedientiæ, vel Religionis, uti advertit Moya tom. 1. t. 6. d. 5. quæst. 1. num. 16. unde peccant Pastores, officiales, famuli &c. qui per intemperantiam causant sibi infirmitatem, scientes idèd se, etiam modò post octo dies fore impotentem muneribus obeundis, ad quæ ex Justitia tenentur. Sanchez, Pasqualigus & alii. Excipit Gobat cit. cap. 10. num. 24. nisi per alium quæque utiliter suppleri possit, quod tamen non admittit Pasqualigus. Item secundum Suarez peccant Edictui, Sartores, Sutores, Pistores, qui die Sabbati, cum possint, non procurant munditiam templi, vestes, calceos, panem, die Dominico, aut die Lunæ manè necessarium, nam in his usus & persuasio communis habet, debere præveniri, ne per illa servilia opera violetur dies festivus.

QUÆSTIO IV.

De subjecto legis humanæ.

SUMMARIUM.

- 225 Vis legis alia est directiva, alia coactiva.
- 226 Legislator humanus tenetur ad proprias leges, in quibus continetur jus naturale vel Divinum.
- 227 In statu Aristocratico, & Democratico legislator tenetur suis legibus.
- 228 Legislator humanus Monarchicus non tenetur suis legibus quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam directè, sed tantum indirectè.
- 229 Quomodo & qualiter peccet legislator non observando suas leges?
- 230 Quomplex sit immunitas Ecclesiastica?
- 231 Clerici, & Regulares non obligantur legibus civilibus, specificè de ipsis disponentibus;
- 232 Benè verò aliis generaliter, aliquid statuentibus, sed tantum quoad vim directivam indirectè.
- 233 Declaratur exemplis.
- 234 Regulares exempti non obligantur legibus Episcoporum.
- 235 Exceptis quibusdam casibus specificatis.
- 236 Infideles alii sunt baptizati, alii non sunt baptizati.
- 237 Infideles baptizati seu Hæretici tenentur legibus Ecclesiasticis, non verò non baptizati.
- 238 Infantes seu pueri nondum septennales non tenentur legibus humanis, uti nec perpetuò amentes;
- 239 Tenentur tamen legibus naturalibus.
- 240 Pueri septennales ligentur legibus Ecclesiæ, quarum materia eorum ætati est conveniens.
- 241 Impuberes possunt incurrrere aliquas censuras, non tamen omnes.
- 242 Amentes non perpetui, sicut & ebrii ligantur legibus humanis.
- 243 Qualiter Peregrini à Vagis differant?
- 244 Peregrinus extra suum territorium non tenetur legibus sui territorii specialibus.
- 245 Si tamen sit extra suum territorium tam physicè, quam moraliter.
- 246 Quid dicendum, si sit in loco exempto?
- 247 An teneatur legibus communibus, si hæc non vigeant in alieno territorio?
- 248 Si subditus exeat à suo territorio, idèd, ne teneatur legibus specialibus sui territorii, quid dicendum?
- 249 & 250 Excipiuntur duo casus.
- 251 & 252 Resolvuntur alii casus.
- 254 Peregrinus exiens è suo territorio, & in alieno nactus domicilium, vel quasi domicilium adstringitur ejus legibus.
- 255 & 256 Et adhuc in aliquibus aliis casibus.
- 257 Extra istos casus peregrinus non tenetur legibus specialibus loci, quem transt.
- 258 Idem dicendum de Vagis.

ASSERTIO IV.

Legislator tenetur suis legibus quoad vim directivam indirectè tantum; sicut & persone Ecclesiasticæ quoad vim directivam indirectè tantum subiciuntur legibus Civilibus eorum statui non repugnantibus: Regulares exempti non obligantur legibus Episcopalis etiam quoad vim directivam, nisi in quibusdam casibus in Jure specialiter expressis: Infideles non baptizati non ligantur legibus Ecclesiasticis, benè tamen Hæretici, nec infantes, nec amentes ligantur legibus humanis: Subditus tam physicè, quam moraliter existens extra suum territorium non tenetur legibus specialibus sui territorii; Peregrini, exceptis quibusdam casibus, per se loquendo legibus particularibus loci, per quem transeunt, non obligantur; idem dicendum de Vagis. Est communissima Theologorum, & Canonistarum apud Authores citandos.

§. I. Legislator.

Notandum: Subjectum Legis esse subditos, quibus præscribitur, & qui habent usum rationis, ut notat Suarez lib. 3. de legibus, cap. 31. num. 4. Sed quoniam sint ejusmodi subditi pro diversitate Legum, ampla est quæstio, quæ movetur de diversis hominum generibus, de Legislatorum respectu suarum Legum; de personis Ecclesiasticis respectu Legum Civilium; de

infidelibus respectu Legum Ecclesiasticarum; de peregrinis, & vagabundis; de pueris & amentibus. Insuper noranda est duplex vis, & efficacia Legum, nimirum directiva, & coactiva. Directiva est, quæ obligat ad solam culpam in conscientia incurramdam: Coactiva est, quæ etiam obligat ad pœnam; & si obliget ad pœnam ipso facto ante Judicis sententiam incurramdam, dicitur vis coactiva interna; sin verò obliget ad pœnam inferendam per sententiam, appellatur vis coactiva externa. Porro vis directiva alia dicitur directè, alia indirectè. Prior exercetur, si causa obligandi sit ipsa lex, & voluntas legislatoris posterior, si lex, & voluntas legislatoris sit tantum occasio, ut obligatio aliunde resulret: ne subditi directè obligantur lege territorii; quia ipsa voluntas legislatoris, utpotè cujus jurisdictioni subfunt, talem obligationem in illis causat: è contra non subditi, jurantes tamen se servaturos leges territorii, obligantur indirectè; quia leges sunt illis tantum occasio, ut ligentur juramento. Hoc prænotato.

226 I. Certum est, legislatorem humanum simpliciter obligari illis legibus, quæ continent Jus Divinum five naturale, five positivum: quia hæc jura, cum procedant ab Authore Deo, sunt supra legislatorem humanum, quamvis ab eo populo propolita & declarata. Unde, quin suo contractui vel pacto stare debeat, non eximitur per plenitudinem potestatis suæ propter consensum præstitum, qui jure naturæ servandus est, leg. 1. ff. de pactis. Præterea certum est: quòd, si lex continet materiam subditi propriam, cujus observatio dedecet dignitatem, & statum legislatoris, hic nullatenùs sua lege stringatur. Unde licet lex præcipiat, ut solvantur tributa, legislator illa solvere non tenetur. Neque obligantur incidere sine gladio, aut veste holoserica, quando lex prohibet, ne quis gladium, aut vestem holosericam portet.

II. Si Legislator sit ipsa communitas, v. gr. capitulum generale, legibus à tali latis singula ejus membra, ac proinde etiam, qui legem condiderunt, obligantur, & ad observantiam compelli possunt, ut colligitur ex cap. cum omnes, de constitutionibus. Ex quo sequitur, quòd Generalis nostri Ordinis v. gr. obligantur statatis, in Generali Capitulo editis; & Episcopus, editis in Synodo Provinciali aut Nationali; idque non solum quoad vim directivam, sed etiam coactivam: siquidem ille tota Religione, & iste tota Synodo simul sumpta inferior est. Idem dicendum de Optimatibus in statu Aristocratico, & populo in statu Democratico: quia quilibet ex Optimatibus, & popularibus est verus subditus respectu totius cœtus; tum Optimatus in statu Aristocratico, tum populi in statu Democratico. Itaque tota quæstio devolvitur ad legislatorem humanum Monarchicum respectu suarum legum quæ talium, seu quatenus ejus sunt, quarum materia communis est, & ipsum æque, ac populum decet. Pro qua detidenda asserimus.

III. Legislator humanus five Ecclesiasticus, five Civilis non tenetur suis legibus, quoad vim coactivam; neque quoad vim directivam directè, sed tantum indirectè. Ita cum communi Theologorum, & Canonistarum D. Thomas 1. 2. quæst. 96. artic. 3. Magistrus Theolog. Moral. disp. 2. quæst. 4. art. 4. Herincx, Erassen, Reiffenstuel in suo Jure Canonico in 1. Decret. tit. 2. num. 268. Navarro, Fagnanus, Pirrbing, Engel, & alii. Ratio primi est: quia leg. penult. ff. de receptis arbitris, dicitur: neque autem imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest; & consequenter in legislatore deficit potestas seipsum obligandi vi coactiva; cum superiorem, veluti Princeps Supremus, non recognoscat; à se ipso autem nemo propriè cogatur, neque sibi quis imperare valeat: ergo legislator non tenetur suis legibus quoad vim coactivam, sed ab eis, quantum ad obligationem pœnæ subeundæ, solutus est juxta illud leg. Princeps 30. ff. de legibus, ibi: Princeps legibus solutus est. Ratio secundi est: quia omnis obligatio directè etiam directiva supponit in imponente superioritatem, & in faciente subjectionem: ergo cum legislator respectu sui ipsius non sit superior, nec subditus, suis legibus non tenebitur directè etiam quoad vim directivam. Ratio tertii est: quia Legislatorem humanum teneri suis legibus quoad vim directivam indirectè, nihil aliud est, quam ipsum directè obligari à lege naturali, ad se conformandum suis subditis in observantia suarum legum, ex suppositione, quòd illas tulerit; sed ita obligatur: ergo &c. Minor probatur: nam lex naturalis obligat legislatorem ad procurandam boni communis: atqui procuratio boni communis maxime dependet à bono exemplo Principis, dum is docet idem exemplo, quod prædicat verbo; & à conformitate omnium membrorum: nam ut habet S. Augustinus lib. 3. Confess. cap. 8. Turpis est omnis pars,



